

motus, quies, figura, calor, frigus; siccitas, humiditas, grauitas, leuitas, sapor, odor &c subiecto indigent. Sed illæ res, quæ alia re vt subiecto, fulcro & sustentaculo quasi, in quo sint & existant, non indigent, dicuntur certo sensu *per se existere*, & esse *substantiæ*. Hinc ergo manifestum est, secundum vñum communem, & ab omnibus receptum, omnes *mentes*, siue spiritus, omniaque *corpora*, etiam ex partibus pluribus composita, quatenus partes habent vnitas & iunctas, & subiiciuntur pluribus accidentibus, siue modis, esse *substantias*. Hinc vtique sol, luna, stellæ, plantæ, animalia homines, metalla, lapides, ignis, aër, aqua, terra, quibus omnibus insunt *accidentia*, modi, attributa plurima, *substantiæ* sunt dicendæ, & ab omnibus sanis Philosophis dicuntur. Hinc quoque Deus ipse, non respectu *accidentium*, quæ in Deo non sunt, sed respectu *attributorum*, siue perfectionum suarum, dicendus est esse *substantia*; cum sit independens, nullius rei indigus, *per se*, & a se existens. Ideo *Cartesius* *substantiam* definit, quod sit *res, quæ ita existit, vt nulla alia re indigeat ad existendum*. Alii dicunt, quod sit *res per se existens, vel subsistens*; sed *Cartesius* optime notauit, vocem *substantiæ non conuenire Deo, & aliis substantiis creatis & finitis, vni-voce*: scilicet Deus est *substantia* sensu absolutissimo, perfectissimo, & simplicissimo; quia ita existit, vt *nulla plane re alia indigeat ad existendum*; sed *aliæ omnes substantiæ Dei concursu vel conseruatione egent ad existendum*. Ergo sensu restricto, & secundum quid, hæ dicuntur *substantiæ* & vulgo definiuntur *per se existere, aut subsistere, & alia re non indigere, nimirum vt subiecto, cui insint & inhæreant*.

XXXIII. Vnde manifestum est, *vim* quandam *actiuam, nisum, conatum*, siue actio inde sequatur, siue impediatur, non posse esse ipsam *substantiam*, ipsum subiectum; vt & ipse Cl. *Leibnizius* dicit, eam *vim naturæ esse insitam*; quod supra obseruauimus, & inductione exemplorum omnium constat. Ita vis scindendi, humectandi, calefaciendi, illuminandi, resistendi, mouendi, &c. (nec datur dissimile exemplum,) nunquam est ipsa *substantia*, sed subiecto indiget, cui vis ea insit & tribui possit. Nec obiiciat mihi Cl. *Engelhard*, vti fecit pag. 14.) *essentiam mentis in cogitandi actuositate constitui*: quærens, *actuositas cogitandi nonne inuoluit vim cogitandi?* Respondeo, non nego, *vim cogitandi esse in mente*; nec
actuo-